

PROPRIUM  
SANCTORUM

HISPANORUM,

Qui generaliter in Hispania celebrantur,

Ad formam Officij novi redactum.

EX APOSTOLICA concessione, & auctoritate

PII V. GREGORII XIII. SIXTI V.

CLEMENTIS VIII. &

URBANI PP. VIII.

PARS ÆSTIVA.



ANTVERPIÆ,  
EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI,  
M. DC. LXXXVI.



# GREGORIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



ASTORALIS officij cura nos admonet, ut ea que magis conducere sensimus, pro locorum & personarum qualitate concedamus. Sanè licet alias post Missalis & Breviarij ex decreto Sacri Concilij Tridentini editionem fel. rec. Pius V Prædecessor noster, dilecti nobis filij Ludovici de Torres Malacitanus, & Camera Apostolica Clerici, qui tunc ex Hispaniarum Regnis, ad que ab eodem Prædecessore pro certis gravibus negotiis ad Rempublicam Christianam spectantibus missus fuerat, Romam redierat, relatione audita, multis scilicet, ut ipse Ludovicus à viris gravissimis ad hunc effectum à charissimo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholicæ deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla quoad Hispaniarum Regna prædicta, duxerit reformanda, & concedenda: nihilominus quia, ut idem Ludovicus nobis retulit, re ipsa compertum est, adhuc aliqua ad Missalis & Breviarij impressionem, que in illa Provincia magnis impensis curantur, desiderari, Nos eius dictis certam adhibentes fidem, ad omnem scrupulum dimovendum, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine, hac, que sequuntur, declaranda duximus, & concedenda. In primis illud nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio. Cum enim Prædecessor prædictus indistinctè concesserit, ut Ecclesia Hispania possint celebrare Officia propria Sanctorum illius Provincia, illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis Feriarum anni omitteretur, & ordo Breviarij serè subverteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus unamquamque Hispaniæ Ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breviario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse qui vel illius Diocesis sunt naturales, vel eius Ecclesie seu Diocesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles Reliquie in ea Ecclesia seu Diocesi requiescunt.

quiescant. De aliis vero Sanctis, etiam si sint naturales, vel  
 Patroni alterius Dioecesis, etiam si illorum corpora, vel notabi-  
 les Reliquia in aliqua Ecclesia alterius Dioecesis requiescant,  
 non celebretur Officium proprium, sed seruetur ordo Brevia-  
 rij Romani. Et quo die celebrabitur festivitas Patroni unius  
 Dioecesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Eccle-  
 siis, intra limites illius Dioecesis existentibus, eandem festivi-  
 tatem celebrare; & in hoc cum Ecclesia matrice se confor-  
 ment. Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota  
 Hispania generales; ita quod omnes Ecclesie & Religiones  
 existentes in illa Provincia recitent de illis, & celebrent pro-  
 pria illorum Officia, quae sunt, festivitas Expectationis Domi-  
 nae nostrae, quae celebratur die xvij mensis Decembris. Et quo-  
 niam dicta die iuxta Breviarium Romanum Feria habet An-  
 tiphonas proprias ad Laudes, ne Antiphona praedicta omittan-  
 tur, & ut festiva singulis annis in illa Provincia decantentur;  
 mandamus, quod dicta Antiphona feriales, quae in die, in qua  
 Officium Expectationis celebratur, dicenda essent, reponantur  
 die xvi. Decembris, omissa ea quae ad Canticum dicitur cuius  
 loco dicatur ea quae ad Canticum ponitur in Psalterio; & idem  
 fiat de Antiphonis in die sancti Thomae occurrentibus, repon-  
 endis in Sabbato, quando Festum Expectationis huiusmodi  
 in Sabbato venerit, ut scilicet Antiphona in die sancti Thomae  
 occurrentes, tunc reponantur xvi. Decembris, dempta ea quae  
 dicitur ad Canticum, ut supra. Item festivitas Triumphus san-  
 ctae Crucis, quae celebratur die xvi. Iulij. Item festivitas san-  
 cti Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, Confessoris. Item festivi-  
 tas sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur  
 Officium Doctoris; & recitetur Credo in celebratione Missae.  
 Insuper celebretur festivitas sanctae Annae matris beatae Ma-  
 riae Virginis in omnibus locis ubi fuerit Ecclesia vel Capella  
 dicta Sancta ad praesens, vel ubi edificabitur Ecclesia in futu-  
 rum. Item concedimus, quod qualibet Ecclesia & Monaste-  
 rium Hispania, habens aliquas Reliquias insignes, puta caput,  
 brachium, vel crus alicuius Sancti, etiam alienigenae, non exi-  
 stentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario sit tantum  
 commemoratio, possit illius festivitatem celebrare, & Officium  
 Duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fue-  
 rit Simplex, fiat commemoratio: si vero fuerit Duplex, vel  
 Semiduplex, transferatur in primam diem simili Festo non

impeditam. Et quoniam in Regno Castella in pluribus Ecclesiis celebratur die xxx. Decembris Translatio sancti Jacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, precipuum Dux lex, & in Breviario ponitur die xxix. festiuitas sancti Thome Archiepiscopi Cantuariensis & Martyris, Semiduplex, & in anno, quo festiuitas sancti Thome occurrit in Dominica, iuxta regulam Breviarij transferriur in diem sequentem; quo die in eo Regno celebratur supra dicta festiuitas sancti Jacobi, posteaq; per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festiuitas predicti sancti Thome; volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thome transferatur ad primam diem Duplici non impeditam, quae erit Vigilia Epiphania, & tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio: ad Vesperas autem Epiphania nulla fiat commemoratio de festo sancti Thome predicti. Cum vero in Ecclesiis & Regionibus Hispania vigeat consuetudo, quod diebus Paschalis & Festiuitatibus maioribus celebret Missam Conuentualem Antiphonam vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quod omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos, qui celebraverit Missam Conuentualem, exeat ante celebrationem Missae cum pluviali, vel capto & cum ministris ad incipiendum in Altari maiori Antiphonam Aspergus, & aspergendum aquam benedictam populo; concedimus, quod Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conuentualem, praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco; & quod talis Sacerdos non deferat pluviale, sed albam, & stolam, vel superellicum & stolam; nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum Acolythis. Haec autem omnia, & singula, Breviarium & Missale concernentia, per fel. rec. Pium V. & Nos concessa pro Hispaniarum Provinciis, volumus, ut intelligantur etiam concessa Ecclesiis insularum, & terra firma Indiarum dicto Regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, quod Missae Sanctorum, quae iuxta Motum proprium dicti Pij V. in Missali Romano in Hispaniis imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per praesentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus, & indulgemus, Non obstantibus praemissis, & litteris praecessoris predicti in Breviario & Missali, ac Regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviarijs & Missalibus impressis: nec

non omnibus & singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus, & decretis. Quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis Provinciis locum sibi non vendicare decernimus, ac alijs, quæ dictus prædecessor in suis litteris ob stare non voluit, ceterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem præsentia littera omni us innorescant, volumus, & districte præcipiendo, omnibus & singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, ut illas in cuiuslibet Missalis & Breviarij principio imprimant, & imprimi curent; aliàs illis non appositis & impressis præsentia nemini suffragentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die xxx. Decembris, M. D. LXXIII. Pontificatus nostri anno primo

Cæs. Gloriosus.

## DECRETUM PRO HISPANIS.

**N**omine nationis Hispanorum supplicavit Doctor Michael de Erze, præcipi ubique locorum, ubi celebratur festum Translationis corporis sancti Iacobi Apostoli de Ierosolymis ad Hispaniam sub die 30. Decembris, celebrari debere tam in Officio quàm in Missa, & tam per Sacerdotes seculares quàm per regulares, cum propria Oratione inferius describenda, dictamque Orationem pro festo dicta Translationis imprimi etiam mandari.

Oratio.

**D**eus, qui dispositione mirabili corpus beati Iacobi Apostoli tui de Ierosolymis ad Hispaniam transferri, & in Compostella gloriose sepeliri voluisti: concède, quæsumus; ut ejus meritis & precibus in cælesti Jerusalem collocari mereamur. Per Dòminum nostrum.

Sacra Rituum Congregatio petita concessit: & ita omnibus ubique locorum prædictum festum Translationis celebrantibus in posterum cum prædicta Oratione propria servari mandavit, hac die quinta Martij, M. DC. XXXIII.

C. Episcopus Portuens. Card. Pius.

Locus † sigilli.

Julius Rospigliosus Secret.

PRO.

# PROPRIMUM SANCTORUM HISPANORUM.

FESTA MAIL  
DIE XV. MAIL.

In festo S. Isidori Agricultor  
Confessoris, Matrini Pa-  
troni. Duplex.

Omnia dicuntur de Com-  
muni Confessoris non Ponti-  
ficis, præter ea quæ hic se-  
quuntur.

Capitulum. *Iacobi s. b*

**E**cce agricola expectat  
pretiosum fructum ter-  
ræ, patienter ferens do-  
nec accipiat temporaneum, &  
serotinum. Patientes igitur  
estote & vos, & confirmate  
corda vestra.

Hymnus. I ste Confessor.  
in quo mutatur tertius Versus.

Ps. Amavit eum Dominus, &  
ornavit eum. R. Stulam gló-  
riæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Labores manuum suarum quia  
manducavit, esurientem im-  
plevit bonis Dominus Deus  
noster, alleluia.

Oratio.

**D**A nobis, quaesumus mi-  
sericors Deus, beato  
Isidoro Agricola Confessore  
tuo intercedente, superbe

non sapere; sed ejus meritis  
& exemplis placita tibi sem-  
per humilitate deservire. Per  
Dominum nostrum Jesum  
Christum Filium tuum.

In primo Nocturno.

De Epistola beati Iacobi  
Apostoli.

Lectio j.

Cap s. b

**P**atientes estote, fratres,  
usque ad adventum Dó-  
mini. Ecce agricola ex-  
spectat pretiosum fructum ter-  
ræ, patienter ferens donec ac-  
cipiat temporaneum, & sero-  
tinum. Patientes igitur estote  
& vos, & confirmate corda  
vestra: quoniam adventus  
Dómini appropinquavit. No-  
lite ingemiscere fratres, ecce  
iudex ante januam assistit.  
Exemplum accipite, fratres,  
exitus mali, laboris, & pa-  
tientiae.

R. Euge serve bone & fidé-  
lis, quia in pauca fuisti fidelis,  
supra multa te constituam:

Intra in gaudium Dómini  
tui. Dómine quinque ta-  
lenta tradidisti mihi, ecce alia  
quinque superlucrans sum.  
Intra.

## Lectio ij.

**E**cce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator. Ante omnia fratres mei nolite jurare, neque per caelum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub iudicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret. Aequo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, arguentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum.

Rz. Justus germinabit sicut liliū: \* Et florebit in aeternum ante Dominum. v̄. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit.

## Lectio iij.

**C**onfitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursus oravit: & caelum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

Rz. Iste cognovit iustitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: \* Et inventus est in numero sanctorum. v̄. Iste est qui contempnit vitam mundi, & pervenit ad caelestia regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus. In secundo Nocturno.

## Lectio iij.

**I**sidorus Agricola prope Matritum Hispaniae urbem, in qua natus fuerat, mercede colendis agris conductus, brevi magnarum sibi virtutum eo in exercitio uberimam segetem paravit. Admirabilis enim Christi ac Sanctorum imitator, numquam ad opus manē se conferēbat, nisi prius Dei regnum studiosē quærerēt, Ecclesiāque in ipsius ac Deiparæ honorem dicatas visitaret. Quare cum illius moram agri dominus graviter ferret, atque ex editione loco quadam die, ut eum liberitus increparet, Agricolam operiretur; binos Angelos candida veste, duplici boum iugo arantes mediūque inter illos Isidorum conspexit. Quo miraculo vulgato, magno deinceps in honore tam apud herum, quam apud ceteros homines habere coepit.

Rz. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi clari-

claritatem æternam. *ψ.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

## Lectio v.

**C**haritate in pauperes adeo flagrauit ut mercedem, quam laboribus parabat, egentibus erogaret. Quin etiam cum aliquando ad commune cum reliquis confratribus prandium plurimos pauperes adduxisset, nihilque aliud, prandio scilicet finito, quam pulmenti partem sibi reservatam reperisset; illam vir Dei, fide singulari fretus, ita distribuit, ut mirabiliter aucta, iis omnibus alendis saturandisque sufficeret. Illud etiam inter cetera mirandum, quod per æstivos calores, ad extinguendam in agro sitim, aquæ potum hero flagitante, cum nullibi scateret, Isidorus stimulo, quem gerebat humo percussa, uberem ex ea & perennem ad hæc usque tempora fontem elicuit.

*R.* Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum: \* Et ad portas paradisi coronavit eum. *ψ.* Induit eum Dominus loriceam fidei, & ornavit eum. Et ad.

## Lectio vj.

**I**gitur sanctitate clarus, cum ad ultimam senectutem pervenisset, obdormivit in Dó-

mino: & in cœmeterio sancti Andréæ sepultus; tandem ibi jacuit, quoad cives de ipsius corpore honestius in Ecclesia collocando divinitus moniti, illud in loculo integrum atque adeo incorruptum invenérunt, ut ex eo suavissimus odor, qui hac etiam tempestate perduravit, efflaret. Sanctum corpus in Ecclesiam translatum, & in editiore loco situm, maximus Deus miraculis illustravit. Quorum beneficentiam non semel tam ipsa Matrini civitas, quam etiam cetera Hispaniæ loca ope ipsius implorata, persenserunt. Quem postremo post annos fere quadringentos fama sanctitatis ac miraculis illustrem Gregorius Decimus quintus in Sanctorum numerum retulit.

*R.* Ille homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrede in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus Gentibus. *ψ.* Ille est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

## In tertio Nocturno.

**L**ectio sancti Evangelij secundum Joannem.

## Lectio vij. Cap. 15.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij  
Papae.

*Lib. 7. Reg. Epist. 32.*

**P**Er semetipsam Veritas dicit: Pater meus agricola est: & omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum; omnem verò qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur, ut ad uberiores gratiam perducatur. Sic enim spicarum granatibulis attrita, aristas & paleis nudantur: sic olivæ prelo pressæ in olei pinguedinem defluunt: sic botri vinearum pressi calcibus in vinum liqueunt.

&. Ille est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ¶ Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

*Lectio viij.*

*Ex eodem Tractatu in septem  
Psalmos Pœnitentiales ad  
6. Psalmum.*

**Q**Uo manet in Verbo, non fraudatur à regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus.

Ideoque ait: Manete in me, & ego in vobis. Ubi enim manendum nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruent, destruuntur civitates, ab imis sedibus turres evellentur: Verbum autem Domini manet in æternum. Maneamus ergo in eo, qui manet in æternum.

&. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: \* Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis. ¶ Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

*Lectio ix.*

**N**on sequamur vanitatem, deserentes veritatem: nec contristemur sicut ceteri, qui spem non habent, sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis quod per Prophetam dicitur: Væ his qui perdidērunt sustinentiam. Quicumque mundanæ adversitatis fractus molestiis, diaboli tentationis infestatione dejectus, à spe cælestium promissionum deciderit, sustinentiam, quam prius habuerat, mercēdem amittet: qui verò sustinebit, magnam reportabit remunerationem.

*T*e Deum laudamus.

Ad Laudes, Capitulum.

*Iacobi s. b*

**E**Cce agricola expéctat pretiósium fructum terræ, patiénter ferens donec accipiat temporáneum, & serótinum. Patiéntes igitur estóte & vos, & confirmáte corda vestra.

Hymnus. *J*esu coróna célsior. *ψ.* Justum dedúxit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Exit qui séminat semináre semen suum, & áliud cécidit in terram bonam, & ortum fecit fructum cénuplum, allelúta.

Oratio.

**D**A nobis, quæsumus misericors Deus, beáto Isidóro Agrícola Confessóre tuo intercedénte supérbè non sapere; sed ejus méritis & exemplis, plácita tibi semper humilitáte deservire. Per Dóminum nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Euge serve bone.

Capitulum. *E*cce agricola. ut suprà.

*ψ.*breve *A*mávit eum.

Ad Sextam, Antiphona.

Capitulum. *Iacobi s. c*

**E**Cce beatificámus eos qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audistis, & finem Dómini vidístis, quóniam misericors Dóminus est, & miserátur.

*ψ.*breve. *O*s justí.

Ad Nonam, Antiphona.

Serve bone.

Capitulum. *Iacobi s. d*

**M**ultum valet deprecátio justí assidua. *E*lias homo erat similis nobis passibilis: & rursus orávit, & terra dedit fructum suum.

*ψ.*breve. *L*ex Dei.

In secundis Vesperis omnia ut in primis. *ψ.* *J*ustum dedúxit Dóminus.

Ad Magnificat, Antiphona. *E*cce homo agricola iste fuit, quóniam Adam exéplum ejus, ab adolescéntia sua, ad serviéndum Deo vivénti, allelúta. Oratio. *D*a nobis. ut suprà.

Et sit commemoratio sancti Ubaldi Episcopi & Confessoris.

DIE XXX. MAII.

In festo S. Ferdinandi III.

Castelle Regis.

Duplex.

Omnia ut in fine Breviarij Romani.

FESTA JULII.

DIE XVI. JULII.

In festo Triumpho S. Crucis.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. *O*magnum. cum reliquis de Laudibus. Psalmus. *D*ixit Dóminus. cum reliquis de Dominica: & loco ultimi. Psalmus. *L*audáte Dóminum omnes Gentes.

A 6

Capi.

Capitulum. *Galat. 6 d.*

**M** Ihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hymnus.

**V** Ex illa Regis prouident:  
Fulget Crucis mysterium,  
Qua vita mortem pertulit,  
Et morte vitam protulit.

Quæ vulnerata lanceæ  
Mucrone diro, criminum  
Ut nos lavaret sordibus,  
Manavit unda & sanguine.

Impleta sunt, quæ concinit  
David fideli carmine,  
Dicendo nationibus:  
Regnavit à ligno Deus.

Arbor decora, & fulgida,  
Ornata Regis purpura,  
Electa digno stipite  
Tam sancta membra tangere.

Ecce cæta, cujus brachiis  
Preteritum pependit sæculi,  
Statæra facta corporis,  
Tulitque prædam tartari.

O Cruce ave spes unica,  
In hac Triumphi gloria:  
Piis adauge gratiam,  
Reisque dele crimina.

Te, fons salutis Trinitas,  
Collaudet omnis spiritus:  
Quibus Crucis victoriam  
Largiris, adde præmium.

Amen:

**V.** Adoramus te Christe & benedicimus tibi. **R.** Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Ad Magnificat, Antiphona.  
O Cruce, splendidior cunctis  
astris, mundo celebris, hominibus  
multum amabilis, sanctior  
universis, quæ sola fuisti digna  
portare talentum mundi. Dulce  
lignum, dulces clavos, dulcia  
ferens pondera: salva præsentem  
catervam in tuis hodie  
laudibus congregatam.

Oratio.

**D**eus, qui per Crucem  
tuam populo in te credenti  
triumphum contra inimicos  
concedere voluisti: quæsumus,  
ut tua pietate, adorantibus  
Crucem, victoriam semper  
tribuas & honorem. Qui vivis  
& regnas.

Ad Matutinum, Invitatorium.  
Regem Dominum, qui pependit  
in ligno, \* Venite, adoremus.  
Psalmus. Venite, exultemus.

Hymnus.

**P**ange lingua gloriosam  
Lauræ certaminis,  
Et super Crucis trophæo  
Dic triumphum nobilem:  
Qualiter Redemptor orbis  
Immolatus vicerit.

De parentis protoplasti  
Fraude Factor condolens,  
Quando pomi noxialis  
In necem morsu ruit:  
Ipse lignum tunc notavit,  
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis  
Ordo depoposcerat,  
Multiformis proditoris

Ars ut artem falleret,  
Et medelam ferret inde,  
Hostis unde laferat.

Quando venit ergo sacri  
Plenitudo temporis,  
Missus est ab arce Patris  
Natus, orbis Conditor,  
Atque ventre Virginali  
Carne amictus prodiiit.

V agit infans inter arcta  
Conditus praesepia :

Membra pannis involuta  
Virgo mater alligat :

Et Dei manus, pedesque  
Stricta cingit fascia.

§ empiterna sit beatae

Trinitati gloria,

Aequa Patri, Filioque ;

Par decus Paraclito :

Unius Trinique nomen

Laudet universitas.

Amen.

In primo Nocturno, Antiphona. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit : quae sola digna fuit portare pretium huius saeculi. Psalmus. Domine Dominus noster. Antiphona. O Crux admirabilis, evacuatio vulnerum, restitutio sanitarum. Psalmus. Caeli enarrant. Añã. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi : quia per crucem tuam redemisti mundum. Psalmus. Domini est terra. ¶ Hoc signum Crucis erit in caelo. R. Cum Dominus ad iudicandum venerit.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Lectio j.

Cap. 3. b

**Q**uicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est : quia iustus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide : sed, Qui fecerit ea, vivet in illis. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum ; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno : ut in Gentibus benedictio Abraham fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus acciperemus per fidem.

R. O Crux benedicta, \* Quae sola fuisti digna portare Regem caelorum, & Dominum.

¶ O Crux gloriosa, o Crux veneranda. Quae.

De Epistola ad Philippenses.

Lectio ij.

Cap. 3.

**H**oc enim sentite in vobis ; quod & in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Hu-

A 7 nullavit

militavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

*R.* O crux gloriôsa, ô Crux veneranda, ô lignum pretiosum, & admirabile signum: \* Per quod & diabolus est victus, & mundus redemptus. *V.* O crux admirabilis, evacuatio vûlnerum, restitutio sanitatum. Per quod.

De Epistola ad Colossenses.

Lectio iij. *Cap. 2. b*

**I**N Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: & estis in illo replèti, qui est caput omnis principatus & potestatis; in quo & circumcisi estis circumcissione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcissione Christi: consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis. Et vos, cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adversus nos erat chirô-

graphum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

*R.* Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit: \* Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. *V.* Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, & cœperit iudicare sæculum per ignem. Tunc. Gloria Patri. Tunc.

In secundo Nocturno, *Añã.* Salvator mundi, salva nos: qui per Crucem & Sanguinem tuum redemisti nos, auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster. *Psalm.* Deus noster refugium. *Añã.* Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit, atque cruore suo vûlnera nostra lavit. *Psalm.* Omnes Gentes. *Añã.* Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi. *Psalmus.* Magnus Dominus. *V.* Adoramus te Christe, & benedicimus tibi. *R.* Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

*Ex Roderico Archiepis. Toletano. Lectio iij.*

**A**lfonsus Castellæ Rex cognomento Bonus, cupiens damna Christianis à Mauris (Beticam, totam-

támque illam Aufrâlem Hispaniæ plagam possidentibus) illâta refarcire, (semel enim ab eis fuerat superatus) magnûm conflavit exercitum: Reges finitimos ac Dynastas sollicitavit. Condonationes à Summo Pontifice Innocéntio Tértio impetravit, ut in eo pio bello qui caderent, nullis capitalibus commissis præpedirentur, quò minus ad caelos statim evolarent. Quare tantus ardor tuéndæ Christianæ ditionis ac pietatis pleròsque invâsit, ut flagitium flagitiosissimum ducerent, à tam piis castris abesse. Ingentes Tolétum copiæ jam ad Regem Alfónsum confluerant: jam Petrus Aragóniæ Rex haud contemnendam manum contraxerat: jam Regem Navariæ Sanctium adventare fama vulgaverat: jam Próceres, jam Episcopi (sed Toletanus ante alios) fulgéntibus stipati catervis, régium laus cingebant: cum omnes non sine númine Christi profecti, ditionem Maurorum invadunt.

*It.* Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit: \* Quæ sola digna fuit portare prætium hujus sæculi. †. Hoc signum Crucis erit in caelo, cum Dominus ad judicandum venerit. Quæ sola.

## Lectio v.

**N**onnulla sunt in via nobiter expugnata oppida ignobilia. Sed quinto denique die Calatravam, quæ summo Maurorum præsidio tenebatur, primo impetu capiunt. Alarcos deinde ducunt; ubi se Rex illis Navariæ conjunxit. Maurorum Rex, qui ingentem Giennum contraxerat exercitum, ubi nostros comperit in radicibus montium confedisse, equitatus partem præmisit, quæ montium ad angustias incompositos insidiis exciperet: ipse lentiori gradu cum reliquo subsequitur exercitu. Alfonsus tamen Rex equitum jam turmam miserat ad summa montium occupanda, qui fugatis strenuè Mauris, montis planitiem (Navas Tolosæ vocant) tenere, castris locum delegere. Latus Alfonsus, quod cacumina sui montium profligatis hostibus tenuissent, omnem jubet exercitum eò conscendere. Difficilis admodum erat ascensus, sed à peritis locorum turmam ducti, ad fastigia montis omnes evaserunt; & eo die proximòque prælio abstinuerunt. Nocte média, quæ diem à superato monte secundam est consecuta, Christiani voce præconis jubentur mentes per sacramentalem confessionem mundare, corpora curare; arma equos

quos expedire, signum pugnae prima luce intenti expectare. Quod tam omnium plausu gratulationeque exceptum est, ut noctem, quod tarda iret, incusarent.

R. Crux alma fulget, per quam salus reddita est mundo: \* Crux repellit omne crimen, allelúja. V. Crux vincit, Crux regnat. Crux repellit.

Lectio vj.

**O**Rta luce, & à multis sacra accepta Eucharistia, ab aliis Archiepiscopali benedictione loco communionis suscepta, Alfonso eductus omnibus copiis aciem instruit: curas inter Reges ac Proceres partivit. Haud tamen potest summam dici, quem quisque locum tenuerit, quam quisque partem tuendam acciperit: satis ex eventu perspicuum est, omnia praeclarissimi Ducis Alfonso munia fortissimè sapientissimèque obiisse. Consertis igitur manibus (ut reliqua nunc praetermittamus) acriter pugnatum est, ancepsque diu victoria fuit, adeo ut Alfonso Rex ad Toletanum Antistitem diceret: Eja Archiepiscope, hic nos, hic moriamur. Cui Archiepiscopus: nequaquam moriemur, o Rex, immò feliciter vincemus. Quod & faventibus Superis factum est. Nam Mauri victi,

ac occisione occisi sunt. Rex eorum cum quatuor equitibus praelio fuga se subduxit. Ducenta millia Maurorum occisa memorantur, cum ex nostris viginti quinque solum fuerint desiderari. Miraque in hoc praelio contigerunt. Numerus primum occisorum in tanta paucitate Christianorum. Crux item in medio conflictu, cum nostri maxime laborare viderentur, Alfonso, quam plurimisque aliis visa est in aere. Praeterea Crux, quae praesulem ante Toletanum de more gestabatur, bis (incolumi signifero Dominico Paschasio Toletanae Ecclesiae Canonico) aciem hostium sublata penetravit. Denique ad praesentiam imaginis beatae virginis Mariae, quae in vexillis regis depicta erat, ingens Maurorum multitudo corruit. Quare, & quod Christianis symbolum ac insigne Crux erat, Triumphis sanctae Crucis haec praeclara victoria appellata est: obruenta decimo septimo Kalendas Augusti, anno Domini millesimo ducentesimo duodecimo.

R. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: \* Misere nobis, qui passus es pro nobis. V. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi: quia per Crucem tuam redemisti mun-

mundum. Miserere. Gloria Patri. Miserere.

In tertio Nocturno, Ant. O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare regem cælorum, & Dominum. Psalmus. Cantate. j. Antiphona. Hoc signum Crucis apparêbit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit. Psalmus. Dominus regnavit, exultet. Antiphona. Super omnia ligna cedrorum, tu sola excelsior, in qua vita pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in ætænum. Psalmus. Cantate. ij. V. Omnis terra adoret te Deus & psallat tibi. R. Psalmum dicat nomini tuo. Pater noster. Absolutio. A vinculis. V. Jube domne. Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelij secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 21. c

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum audieritis praelia & seditiões, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorij Papæ.

Homilia 34. in Evangelia.

**D**ominus ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, ut eò minus

perturbent venientia, quò fuerint præscita. Minus enim jacula feriunt quæ prævidentur: & nos tolerabilius mundi mala suscipimus si contra hæc per præsciëntiæ clypeum munimur. Ecce enim dicit: Cum audieritis praelia & seditiões, nolite terreri: oportet enim primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interiùs, aliud exteriùs passuros esse denuntiat. Bella quippe ad hostes pertinent, seditiões ad cives. Ut ergo nos indicet interiùs exteriùsque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.

Per signum Crucis de inimicis nostris, \* Libera nos Deus noster, alleluia. V. Salva nos Christe Salvator per virtutem Crucis. Libera. Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio viij.

**S**ed his malis præveniētib; quia non statim finis sequatur, adjungit: Surget gens contra gentem; & regnum adversus regnum; & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terrorisque de cælo, & signa magna erunt. Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur: & per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpeua, quæ

quæ subsequuntur. Et ideo post bella & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare.

¶ Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ: vicit leo de tribu Juda, \* Radix David, alleluia, ¶. Crux benedicta, in qua triumphavit Rex Angelorum. Radix. Gloria Patri. Radix. Benedictio. Ad societatem. Lectio ix.

**S**ed cum tot signa perturbationis dicta sint, oportet ut eorum considerationem breviter per singula perstringamus: quia necesse est, ut alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Ait enim: Surget gens contra gentem, ecce perturbatio hominum: erunt tremotus magni per loca, ecce respectus iræ desuper: erunt pestilentia, ecce inæqualitas corporum: erit fames, ecce sterilitas terræ: terroresque de cælo & tempestates, ecce inæqualitas æris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur, & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur: ut impleatur quod dicitur: Et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

**T**e Deum laudamus.

**A D' LA U D E S,**  
& per Horas, Aña.

**O** Magnum pietatis opus: mors mortua tunc est, In ligno quando mortua vita fuit. Psalmus. Dóminus regnavit, cum reliquis de Dominica. Antiphona. Salva nos Christe Salvator per virtutem Crucis, qui salvasti Petrum in mari; miserere nobis. Antiphona. Crucem tuam adoramus Dómine: & sanctam resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: ecce enim propter Crucem venit gaudium in universo mundo. Aña. Ecce Crucem Dómini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David, alleluia. Antiphona. Tuam Crucem adoramus Dómine, tuam gloriosam recolimus passionem: miserere nobis quia passus es pro nobis.

Capitulum. Galat. 6 d

**M**ihi autem absit gloria, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Hymnus.

**L**ustra sex qui jam pergit,  
Tempus implens corporis,  
Sponte libera Redemptor  
Passióni deditus,  
Agnus in Crucis levatur  
Immolandus stipite.

**E** esse potus ecce languet,  
 Spina, clave, lancea  
 Mite corpus perforarunt :  
 Unda manat, & cruor :  
 Terra, pontus, astra, mundus,  
 Quo lavantur flumine !  
 Crux fidelis, inter omnes  
 Arbor una nobilis :  
 Silva talem nulla profert  
 Fronde, flore, germine :  
 Dulce ferrum, dulce lignum,  
 Dulce pondus sustinent.  
 Flecte ramos arbor aëta,  
 Tensa laxa viscera,  
 Et rigor lentescat ille,  
 Quem dedit natiuitas ;  
 Et superni membra regis  
 Tende mihi stipite.  
 Sola digna tu fuisti  
 Ferre mundi Victimam ;  
 Atque portum preparare  
 Arca mundo naufrago,  
 Quam facer cruor perunxit,  
 Fusus Agni corpore.  
 Semper eterna sit beatae  
 Trinitati gloria :  
 Aequa Patri, Filioque,  
 Par decus Paraclito :  
 Unius, Trinique nomen  
 Laudet Universitas, Amen.  
 V. Adoramus te Christe, &  
 benedicimus tibi. R. Qui per  
 Crucem tuam redemisti mun-  
 dum.

Ad Benedictus, Antiphona.

O Crux gloriôsa, ô Crux ve-  
 neranda, ô lignum pretiosum,  
 & admirabile signum, per  
 quod & diabolus est victus,  
 & mundus redemptus.

Oratio.

**D**eus, qui per Crucem  
 tuam populo in te cre-  
 denti triumphum contra ini-  
 micos concedere voluisti :  
 quaesumus, ut tua pietate ado-  
 rantibus Crucem, victoriam  
 semper tribuas & honorem.  
 Qui vivis & regnas.

Ad Tertiam, Antiphona.

Salva nos. Capitulum. Mihi  
 autem absit.

R. breve. Hoc signum Crucis,

\* Erit in caelo. Hoc signum.

V. Cum Dominus ad judi-  
 candum venerit. Erit. G loria  
 Patri. Hoc signum. V. Adora-  
 mus te Christe, & benedici-  
 mus tibi. R. Quia per Cru-  
 cem tuam redemisti mundum.

Ad Sextam, Antiphona.

Crucem tuam adoramus.

Capitulum. Philipp. 2.

**C**hristus factus est pro  
 nobis obediens usque ad  
 mortem, mortem autem crucis.

R. V. Adoramus te Christe,

\* Et benedicimus tibi. Adora-

mus. V. Quia per Crucem

tuam redemisti mundum. Et

benedicimus. Gloria Patri.

Adoramus. V. Per signum

Crucis de inimicis nostris.

R. Libera nos Deus noster.

Ad Nonam, Antiphona.

Tuam Crucem adoramus.

Capitulum. Philipp. 2. d

**I**n nomine Jesu omne genu  
 flectatur caelestium, terre-  
 strium, & infernorum : &

omnis

omnis lingua confiteatur, quia  
Dóminus Jesus Christus in  
glória est Dei Patris.

Rz. br. Per signum Crucis, \* De  
inimicis nostris. Per signum.  
v. Libera nos Deus noster. De  
inimicis. G lória Patri. Per si-  
gnum. v. Hoc signum Crucis  
erit in cælo. R. Cum Dómi-  
nus ad judicandum venerit.

In secundis Vesperis om-  
nia dicuntur ut supra in pri-  
mis; sed ad Magnificat dici-  
tur sequens, Aña. O Crux Be-  
nedicta, quæ sola fuisti digna  
portare Regem cælorum, &  
Dóminum.

DIE XVI. JULII.

Aut alia die infra Octavam  
Festum Commemor. so-  
lemnis B. Mariæ vir-  
ginis. Duplex.

Omnia ut in fine Breviarij  
Romani.

DIE XX. JULII.

In festo S. Liberatæ virg. &  
mart. Patronæ Ecclesiæ &  
Diocesis Seguntinæ.

Duplex ij. classis.

Omnia de Comuni Vir-  
ginum & Martyrum, præter  
ea quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat, Antiphona.  
Gloriosum sanctæ Liberatæ  
triumphum solémniter cele-  
brémus, quæ in Cruce pen-  
dens, inférnum vicit, & ty-  
rannorum torménta superá-  
vit, alleluia.

Oratio.

**B** Eátæ Liberatæ virginis &  
martyris tuæ, quæsumus  
Dómine, précibus & méritis  
adjuvémur: ut quæ pro tui  
nóminis confessiône, & pud-  
icitæ defensiône in Cruce pe-  
péndit, ab inimicorum insidiis  
sua nos protectiône defendat.  
Per Dóminum.

In primo Nocturno, Lectio-  
ne de libro Ecclesiastici. C on-  
fitebor tibi Dómine. ut in  
Communi Virginum secun-  
do loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iij.

**L** Ucius Catéllius Sevê-  
rus, Præses Gallæciæ &  
Lusitaniæ, & ejus terræ  
Régulus, idolórum cultor, ex  
Cássia cónjuge, eídem falsæ re-  
ligióni dedita, uno partu ( ut  
mulkarum in Hispania Eccle-  
siarum fert traditio ) novem  
édidit filias. Quæ cum existi-  
mâret hoc posse contra eam  
áliquam violáti tori, & in-  
temperántis vitæ excitári su-  
spiciónem, obstetrici sevère in-  
dixit, ut occúltè illam tot filiá-  
rum turbam in flumen pro-  
jiceret. Illa verò consilium  
detestáta, in próximum vi-  
cum progréssa, novem puél-  
las tótidem nutricibus aléndas  
trádidit; à quibus sacro fon-  
te lustratæ, Genivéra, Vilge-  
fortis seu Liberáta, Victória,  
Eumélia, Germána, Gemma,  
Már-

Mártia, Basílissa, ac Quitéria nuncupátæ, totas se Deo concéptæ virginitátis voto consecrárunt.

R. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justitiam: \* Et dedúcet te mirabíliter dèxtera tua. *ψ* Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Et dedúcet.

## Lectio v.

**I**Nterea dira persecútio Christiánum nomen urgébát, & ad Balchágiam Catéllij sedem progréssa (quæ hódie dicitur Bayóna Tudénsis) cultóres idolórum ímpulit, ut Vírgines sacras comprehénderent, & Catéllio patri sisterent puniéndas. Qui de géne-re & religiône ísciscitáus, Christiánas, & filias suas esse cognóvit. Cúm autem ómnia illis régia liberalitáte promitteret, omniáque supplicia júdicis severitáte minaretur, ut eas à stúdio Christiánæ religiónis abúderet, & maternæ preces & lácrymæ his ómnibus accéderent: nihilóminus sacrae Vírgines omnes in ea, quam suscéperant, fide constantes permansérunt.

R. Dilexisti justitiam, & odísti iniquitatem: \* Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *ψ* Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justitiam. Propterea.

## Lectio vj.

**C**UM autem pater nil proficeret, & in filiarum cædem raperetur furóre: illæ taméti martyrij cúpidæ, patris tamen grave peccátum vitare cupiétes, ab ejus statuerunt sese potestate suoducere, quod facere, non simul omnes, sed seorsum aliæ aliò dilápsæ, ubi váriis locis martyrium subiérunt. Vvilgefóris verò, seu Liberáta, cum aliis Christiánis in crénum secéssit, ubi aspérimè vivens; silvéstri cibo semel ad vésperam quotidie reficibâtur; donec comprehénsa iterum ab impijs idolórum cultóribus, ad sacrilegum idolórum culum, & impudicitiam fuit instigáta: illa verò, nec sorórum nece percússa, nec minis, aut cruciátibus deterrita, tortóribus se læta obtulit. Et post vária tormentórum génera, in Lusitánia ad Castraléuca pro fide & pudicitia decértans, in Cruce méruit martyrii palmam adipsi sci, circa annum Dómini centésimum trigésimum nonum: cujus corpus in amplíssimo templo Seguntino honorificè cónditum, summa cólitur religiône, & populórum frequentia.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próxima ejus, \* Afferéntur tibi in lætitiis & exultatióne. *ψ* Spécie tua & pulchri-

pulchritudine tua intēde,  
 próserè procēde, & regna.  
 Afferentur. Glória Patri. Af-  
 ferentur.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangélj se-  
 cūndū Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13.

**I**N illo tēpore : dixit Je-  
 sus discipulis suis parabo-  
 lam hanc : Simile est regnum  
 cælōrum thesauro abscondito  
 in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Joānnis  
 Chrysostomi.

Homil. 48. super Matth. c. 13.

**S**icut granum sinâpis, &  
 fermentum, sic duæ parâ-  
 bolæ istæ thesauro atque  
 margaritæ parum inter se dif-  
 ferunt : illud enim ambâbus  
 his denotâtur, quoniam opor-  
 teat prædicatōnem Euangé-  
 lij omnibus ceteris antepone-  
 re. Et illis quidem ( fermenti  
 dico atque sinâpis ) magna  
 Euangélj virtus ostēdebâ-  
 tur, quæ omnino totum or-  
 bem terrarum erat superatūra:  
 hæ verò posteriōres summi  
 esse prærij significant ; sicut  
 enim sinâpis extēditur, sic  
 quasi margarita pretiosissi-  
 mum est, ac infinitas exhibet  
 commoditates ut thesaurus.

Hæc est virgo sapiens,  
 quam Dōminus vigilātem  
 invēnit, quæ accēptis lampadi-  
 bus sumpsit secum oleum :

Et veniente Dōmino, introi-

vit cum eo ad nūptias. y Mé-  
 dia nocte clamor factus est,  
 Ecce sponsus venit, exite ób-  
 viam ei. Et veniente.

Lectio viij.

**N**ec illud solūm dicimus;  
 quia cetera abjiciēda  
 sunt omnia, & sola prædica-  
 tio Euangélj retinēda; ve-  
 rum etiā magno id esse cum  
 gaudio faciēdum. Sanè qui  
 renuntiatiōnem bonōrum fa-  
 cit, is nullam jactūram, sed  
 quæstuosissimam facit merca-  
 tūram. Perpendis quomodo  
 in mundo abdita atque celata  
 prædicatio est, & in prædica-  
 tiōne summa felicitas recon-  
 dita? Nisi ergo cunctas res  
 tuas venūdabis, non emes:  
 nisi curiosè queras, non invē-  
 nies. Duo hæc quippe nobis  
 ad salutem necessaria sunt, sæ-  
 cularium rerum contēptus,  
 & jugis vigilātia.

Media nocte clamor factus  
 est : Ecce sponsus venit, exite  
 óbviā ei. y Prudentes vir-  
 gines aptate vestras lampades.  
 Ecce sponsus. Glória Patri.  
 Ecce sponsus.

Lectio nona de S. Marga-  
 rita virgine & martyre ut in  
 Breviario, nisi fuerit Domini-  
 ca. Si autem contingat trans-  
 ferri, dicitur sequens.

Lectio ix.

**Q**uærenti enim ( inquit )  
 bonas margaritas, &  
 cum invenisset unam pretio-  
 sam,

pretiosam, vendidit quaecumque habebat, ac emit eam. Una quippe veritas, nec in multas scinditur partes: ac veluti qui margaritam habet, novit se divitem esse, etiamsi aliis ignorum nonnumquam illud sit, cum parvo in loculo margarita reconditur; sic & in praedicatione veritatis, qui ei adherent, totoque animo illam amplectuntur, opulentos esse non ignorant, quamvis infideles, thesauri vim non agnoscetes, fidelium opes contemnant.

Te Deum laudamus.

IN LAUDIBUS.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quamvis plurimis blandimentis & minis sancta Liberata expectaretur ut fidem Christianam pudicitiamque desereret: stabilis, & firma in agone permansit, & in Cruce impollutum spiritum Deo reddidit. Oratio. Beatae Liberatae.

Deinde sit commemoratio S. Margaritae virginis & martyris, Ana. Simile est. V. Diffusa est. Oratio. Indulgentiam. At in Communi Virginum.

In secundis Vesperis ad Magnificat, Antiphona. O felix Liberata, a tyrannorum servitia liberata! O gloriosa Vvilgefórtis, quae ubique fortis in certamine reperta es! O Patrona admiranda civitatis,

& diocesis Seguntinae, fac nos tuis precibus ad gaudia caelestia, quibus fruere, pervenire. Oratio. Beatae Liberatae. DIE XXIII. JULII. In Vigilia S. Jacobi Apostoli, & Hispaniarum Apostoli, & Patroni.

Lectio sancti Evangelij secundum Marcum.

Lectio j. Cap. 3. b

IN illo tempore: Ascendens Jesus in montem, vocavit ad se quos voluit ipse; & venerunt ad eum. Et fecit, ut essent duodecim cum illo. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri.

in Marc. cap. 16.

**C**erti utique gratia mysterij, ut videlicet mundi salutem, quam verbo praedicarent, suo quoque numero commendarent. Ter etenim quaterni duodecim faciunt; & ter quaterni ad praedicandum sunt missi Apostoli, ut per universas quadrati orbis plagas baptizarent Gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Unde & de civitate sancta Jerusalem descendente de caelo à Deo, scriptum est, quia erant ei ab Oriente portae tres, & ab Aquilone portae tres, & ab Austro portae tres, & ab Occasu portae tres. Ubi figuráliter ostenditur, quod predi-

prædicantibus Apóstolis, Apóstolorumque successoribus, cunctæ per orbem nationes in fide sanctæ Trinitatis Ecclesiam essent ingressuræ.

Responsoria de Feria occurrente Lectio ij.

**E**T ut mitteret eos prædicare: & dedit illis potestatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia. Postquam nefandos spiritus se prædicare prohibuit, elegit sanctos, qui immundos spiritus eicerent; & ipsi munda Evangelium mente & lingua prædicarent. Quibus etiam ceteras infirmitates curandi, necnon & mortuos suscitandi ( ut Matthæus Evangelista scribit ) contulit facultatem: ut promissorum cælestium magnitudine attestatur etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, & nova facerent, qui nova prædicarent. Unde nunc quoque cum fidelium numerus excrevit, inter sanctam Ecclesiam multi sunt, qui viam virtutis tenent, & signa virtutum non habent: quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur. Lectio iij.

**E**T Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitru. Aptè filij tonitru sunt cognominati: quorum unus è cæle-

stibus intonans, vocem illam Theologicam, quam nemo prius edere noverat, emisit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quæ tantæ virtutis pondere grâvida reliquit, ut, si aliquanto plus intonare voluisset, nec ipse capere mundus posset. Sed & ambo sæpè seorim, & in montem à Dômino duci, & aliquando sonum de nubeterrificum percipere meruerunt: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Prisca quoque nomina meritis aptissima, gestabant. Jacobus enim supplantator, Joannes, in quo est grâcia, vel Dômini grâcia, dicitur. Namque ille & carnis curam, Dômino vocante, supplantare, & ipsam carnem, Herode trucidante, gavisus est contemnere. Iste ob amoris præcipui gratiam, quam virginali gloria meruerat, super Redemptoris sui pectus in cœna recubuit.

Oratio.

**D**A, quæsumus omnipotens Deus, ut beati Jacobi Apóstoli tui, quam prævenimus, veneranda sollemnitas, & devotiõnem nobis augeat, & salutem. Per Dôminum.

Et fit commemor. S. Christinæ virg. & mart. Anæ. Simile est. y. Diffusa est. Oratio. Indulgentiam. ut in Communi Virginum.

DIE XXV. JULII.  
 IN FESTO  
 S. JACOBI APOSTOLI  
 & Hispaniarum Apostoli  
 & Patroni.

Ad Vesperas, Ant. Accessit  
 ad Jesum mater filiorum Ze-  
 bedæi. cum reliquis de Lau-  
 dibus. Psalm. Dixit Dominus.  
 cum reliquis de Dñca & leod  
 ultimi, Psalm. Laudate Dō-  
 minum omnes Gentes.

Capitulum. 1. Cor. 4 b

**F**ratres, Puto quod Deus  
 nos Apóstolos novissi-  
 mos ostendit, tanquam  
 morti destinatos: quia spectá-  
 culum facti sumus mundo, &  
 Angelis, & hominibus.

Hymnus.

**D**efensor alme Hispaniæ  
 Jacobe, vindex hostium,  
 Tonitruum quem filium  
 Dei vocavit Filius.

Huc cæli ab altis sedibus  
 Convertere dexter lumina,  
 Audique lati debitas  
 Grates tibi quas solvimus.

Grates refert Hispania,  
 Felix tuo quæ nomine:  
 Te gloriatur jugiter  
 Dignata sacris ossibus.

Tu, cæca nox atque impia  
 Nos cum teneret vanitas,  
 Lucem salutis primitus  
 Oris Iberis impetras.

Tu bella cum nos cingerent,  
 Es visus ipso in prælio,  
 Equoque & ense acerrimus  
 Mauros furentes sternere.

*Pars Æstiva.*

Exci tuo nos pignore,  
 Largum tuo te munere  
 Rogamus omnes, ut tuæ  
 Spe prótegas præsentia.  
 Deo Patri sit glória,  
 Ejusque soli Filio  
 Cum Spíritu Paráclito,  
 Et nunc, & omne in sæculum.  
 Amen.

Y. In omnem terram exivit  
 sonus eorum. R. Et in fines  
 orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat, Antiphona.  
 Misit Heródes rex manus, ut  
 affligeret quosdam de Eccle-  
 sia: occidit autem Jacobum  
 fratrem Joannis gladio.

Oratio.

**E**sto Dómine plebi, tuæ  
 sanctificator & custos: ut  
 beati Jacobi Apóstoli tui mu-  
 nita præsiidiis, & conversatió-  
 ne tibi placeat, & secúra mente  
 deserviat. Per Dóminum.

Ad Matutinum omnia us-  
 que ad Lectiones, de Com-  
 muni Apóstolorum.

In primo Nocturno.

De Epístola prima beati Pauli  
 Apóstoli ad Corinthios.

Lectio 1. Cap 4.

**S**ic nos existimet homo.  
 ut ministros Christi, &  
 dispensatores mysteri-  
 rum Dei. Hic jam queritur  
 inter dispensatores, ut fidelis  
 quis inventiatur. Mihi autem  
 pro minimo est ut à vobis ju-  
 dicer, aut ab humano die: sed  
 neque me ipsum judico. Nihil

B

enim

enim mihi cōsciūsum : sed non in hoc justificātus sum : qui autem iūdicat me, Dōminus est. Itaque nolite ante tempus iudicāre, quoadūsq̄ veniat Dōminus : qui & illuminābit abscondita tenebrarū, & manifestābit consilia cordium : & tunc laus erit unicuique à Deo.

*R.* Procédens Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres Jacōbum Zebedæi, & Joānem fratrem ejus, in navi,

\* Et vocāvit eos : qui statim relictis rētibz, & patre, secuti sunt Dōminum. *V.* Erant Jacōbus & Joānes fratres in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes rētia sua. Et vocāvit.

Lectio ij.

**H**Æc autem, fratres, transfigurāvi in me & Apollo, propter vos : ut in nobis discātis, ne suprāquā scriptum est, unus advērsus alterum instētur pro alio. Quis enim te discernit ? Quid autem habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriāris quasi non accēperis ? Jam saturāti estis, jam divites facti estis : sine nobis regnātis, & itinam regnētis, ut & nos vobiscum regnēmus. Puto enim quod Deus nos Apóstolos novissimos ostēdit, tamquam morti destinātos : quia spectāculum sa-

tri sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

*R.* Vocāvit ad se Dōminus Jacōbum Zebedæi, & Joānem fratrem Jacōbi, & fecit ut essent secum inter duodecim, & ut mitteret eos predicāre. \* Et impōsuit eis nomina, Boanērges, quod est, filij tonitruī. *V.* In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et impōsuit.

Lectio iij.

**N**Os stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, & benedicimus : persecutiōnem patimur, & sustinemus : blasphemamur, & obsecramus : tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsēma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangélium ego vos genui.

*R.* Cū venisset Iesus in domum principis Synagogæ ;

\* Non

\* Non permittit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puellae. Et dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. Non permisit. Gloria Patri. Non permisit.

In octavo Nocturno.

Lectio iij.

**J**acobus, Zebedaei filius, Joannis Apostoli germanus frater, Galilaeus, inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relicto patre ac relictis, secutus est Dominum, & ambo ab ipso Jesu Boanerges, id est, tonitruum filii, sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator maxime dilexit, & testes esse voluit suae transfigurationis, & interesse miraculo, cum archisynagoga filiam a mortuis excitavit, & adesse cum secisset in montem Oliveti, Patrem oraturus, antequam a Judaeis comprehenderetur.

¶ Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, \* Et transfiguratus est ante eos. ¶ Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Et transfiguratus.

Lectio v.

**P**ost Jesu Christi ascensum in caelum, in Judaea & Samaria ejus divinitatem pra-

dicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit; ex quorum numero septem postea Episcopi a beato Petro ordinati, in Hispaniam primi directi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Heronogenem magum fidei veritate imbuisset, Herodes Agrippa Claudio Imperatore ad regnum elatus, ut a Judaeis gratiam iniret, Jacobum liberum Jesum Christum Deum confidentem capitis condemnavit. Quem cum is qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntem vidisset: statim se & ipse Christianum esse professus est.

¶ Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Jesus Jacobo & Joanni filiis Zebedaei. \* At illi dixerunt ei, Possumus. ¶ Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. At illi.

Lectio vj.

**A**d supplicium cum raperentur, petiit ille a Jacobo veniam; quem Jacobus osculatus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque uterque est securi percussus, cum paulo ante Jacobus paralyticum sanasset.

Corpus ejus postea Compositellam translatum est, ubi summa celebritate colitur, convenientibus eò religionis & voti causa ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipsius natalis hodierno die, qui Translationis dies est, ab Ecclesia celebratur, cum ipse circa Festum Paschæ primus Apostolorum Jerosolymis profuso sanguine testimonium Jesu Christo dederit.

*ps.* Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem secum, & cepit pavere, & tædere.

\*Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. *ps.* Sustinete hic, & vigilate mecum. Et ait illis. Gloria Patri. Et ait illis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 20 c*

**I**n illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi,

*Homil 66. in Matth.*

**N**on turbetur quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse: nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum in-

fusa. Quod si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, & videbis omnem ab illis peruersam affectionem fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modò imperfectio revelatur, ut apertè percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerunt. Quòd igitur nihil spirituale petebant, nec de cælesti regno quidquam cogitabant, perspicuum est. Sed tamen inspiciamus etiam quomodo accedant, & quid dicant. Volumus, inquit, ut quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus, Quid vultis? respondit: non ignorans certè, sed ut eos respondere cogat, & ulcus detegat, & ita medicamentum apponat.

*æ* Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: \*Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. *ps.* Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidètis. Occidit. Lectio viij.

**I**lli verò cum erubescerent, & verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eò devenerant, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes interrogaverunt. Progressi sunt enim, inquit, ne illis manifesti fierent: & ita demum ea quæ volebant, dixerunt.

runt. Volbant autem, ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes seduros discipulos audierunt, primatum hujus concessus impetrare; & praproni quidem se ceteris sciebant; Petrum vero sibi preferri formidantes, dicere ausi sunt: Dic ut unus a dextris, alter a sinistris sedeat. Et urgent dicentes, Dic. Quid igitur ipse? Ut significaret eos nihil petere spiritale, sed nec scire quidem quid postulent: non enim petere auderent, si scirent: Nescitis, ait, quid petatis: nescitis quam magnum hoc sit, quam mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes.

**R.** Iste est, qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo; \* Cujus corpus in Gallaciam delatum, per totum orbem gloria illustratur. **V.** O fidus, o decus Hispaniae sancte Jacobe Apostole, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit. Cujus. **G**loria Patri. Cujus.

Lectio ix.

**E**T adjecit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Perpensis, quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de

honoribus & coronis mecum agitis, ego vero de luctamine atque sudore differo. Non praemiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: sed caedis ac periculorum tempus praesens est. Perspice autem, qualiter ipso interrogationis modo & hortatur & allicit. Non enim dixit: Potestisne eadem subire, potestisne vestrum effundere sanguinem? sed quoniam pacto potestis bibere calicem? Deinde alliciens inquit, quem ego bibiturus sum: ut ipsa cum eo communicatione laborum promissiones redderentur.

**T**e Deum laudamus.

**A D L A U D E S,**  
& per Horas. **A**na.

**A**ccersit ad Jesum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Psalmus. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica. Anaph. Dic, ut sedcant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Antiphona. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Antiphona. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Antiphona. Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4. b

**F**ratres: Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Hymnus.

**J**esu salus mortalium,  
Nobis ades, dum dicimus

Laudes Patrono Hispaniae,  
Tuam canentes gloriam.

audandus hic est unice,  
Quod primus in certamine  
Apostolis ex omnibus

Pro te profudit sanguinem.

Qui beatus pluribus  
Noris amoris maximi,  
Quod testis usque interfuit  
Reconditis mysteriis.

Sicut vi potentis dexteræ  
Surgit Iairi filia,

Quando in paternis adibus  
Est excitata ab inferis.

Sicut vultus, ut sol, splendidus,

Et vestis, ut nix, candida,

Thaboris alto in vertice  
Signum tuæ dant gloriæ.

Sicut monte olivis consito  
Argoris est index tui.

Sudor, tuo de corpore  
Sicut gutta manans sanguinis.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,

Cum Spiritu Paraclito,  
Nunc, & omne in sæculum.  
Amen.

Annuntiaverunt opera  
Dei. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.  
Visitavit nos per sanctum  
suum Apostolum, & fecit salutem de inimicis nostris, Dominus Deus noster.

Oratio.

**E**sto Domine plebi tuæ  
sanctificator & custos: ut  
beati Jacobi Apostoli tui munera  
praesidiis, & conversatione  
tibi placeat, & secure  
mente deserviat. Per Dominum  
nostrum.

Ad Tertiam, Antiphona.  
Dic, ut sedent. Capitulum.  
Fratres: Puto, quod Deus.

ut supra.  
Et breve. In omnem terram,  
Exiit sonus eorum. In omnem.  
Et in fines orbis terræ  
verba eorum. Exiit. Gloria  
Patri. In omnem. Constitues  
eos principes super omnem  
terram. Memores erunt  
nominis tui Domine.

Ad Sextam, Antiphona.  
Potestis bibere calicem.

Capitulum. 1. Cor. 4. c

**N**os stulti propter Christum:  
vos autem prudentes in Christo:  
nos infirmi, vos autem fortes:  
vos nobiles, nos autem ignobiles.  
Et breve. Constitues eos principes,

cipes, \*. Super omnem terram. Constitues. *ψ*. Memores erunt nominis tui Domine. Super. G loria Patri. Constitues. *ψ*. Nimis honorati sunt amici tui Deus. *℞*. Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Nonam, Antiphona.

Quicumque voluerit.

Capitulum. *I Cor. 4. d*

**N**am si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.

*℞*. breve. Nimis honorati sunt, \* Amici tui Deus. Nimis. *ψ*. Nimis confortatus est principatus eorum. Amici. G loria Patri. Nimis. *ψ*. Annuntiaverunt opera Dei. *℞*. Et facta e, us intellexerunt.

Ad Vesperas, Antiphonæ de Laudibus, Psalmi de Comuni Apostolorum. Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis. *ψ*. Annuntiaverunt opera Dei. *℞*. Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat, Antiphona. O beatorum Apostolorum! qui inter primos electus, primus omnium Apostolorum Domini calicem bibere meruit! O gloriosum Hispaniæ regnum, tali pignore ac patrono munitum, per quem fecit illi magna, qui potens est, alleluia.

Oratio

**E** Sto Domine plebi tuæ sanctificator & custos: ut beati Jacobi Apostoli tui munita prædiis, & conversatione tibi placeat, & secum mente deserviat. Per Dominum nostrum.

Deinde fit commemoratio S. Annæ.

DIE XXVI. JULII.

Secunda die infra Octavam fit Officium de S. Anna Duplex, cum commemor. Octavæ S. Jacobi ad Laudes.

In secundis Vesperis fit commemorat. de Octava, deinde S. Pantaleonis martyris.

DIE XXVII. JULII.

Tertia die fit de Oct. ut in die, præter Lectiones j. Nocturni quæ dicuntur de Scriptura occurrente, & ij. & iij. Noct. quæ dicuntur ut infra.

In secundo Nocturno, Sermo sancti Augustini Episcopi.

Sermone 43. de Sanctis.

LECTIO iij.

**S**i omnium sanctorum Martyrum gratia nobis debet esse sollemnitas, fratres charissimi, quanto gratior eorum, qui presentem secuti sunt principem Martyrum: Si agnorum, quanto magis ardentia illorum enim filii, non generatione carnis, sed imitatione virtutis facti sunt omnes, qui posterius usque ad mor-

tem confessi sunt Christum. Hos obtulerunt populi Gentium, de quibus Psalmus ante cantavit, dicens: Afferte Domino filios arietum. His primum Dominus, cum ad confessionem sui nominis hortaretur, non solum se promisit victoriae coronatorem, sed & certaminis ad uterum. Etiam in ipsis & posteros admonēbat, quoniam quod dicebat, scriptum posteris relinquebat. Illis ergo ait, exortans eos: Cum adducet vos ad principes, & potestates, nolite cogitare, quid respondeatis, vel quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Meditari veruit, & confiteri praecipit. Maluit enim auferre praesumptionem humanam, & gratiam dare divinam, ut in semetipsis timidi, & mundo essent audaces. Unde & in alio Psalmo vox Martyrum dicit, quasi ex parte humanae fragilitatis verendo: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Et paulo post, de auxilio divino confidens, dicit: fortitudinem meam ad te custodiam.

Assumpsit Jesus. 27.

Lectio v.

**S**upra ceteras enim turbas fidelium, nec non antiquorum justorum & Prophetarum,

eminentes Apostolos suos volens Dominus ostendere, dixit ad eos: Beati oculi, qui vident, quae vos videtis; & aures quae audiunt, quae vos auditis. Multi enim Prophetarum & iusti voluerunt videre, quae vos videtis, & non viderunt; & audire, quae vos auditis, & non audierunt. Item alibi: Jam, inquit, non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Item ait idem, alio loco: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo; & quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo. Item alibi sciscitanti Petro, quid sibi & sociis suis praefuisset, reliquisse omnia & sequi Redemptorem. respondit, dicens: Amen dico vobis; quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim tribus Israel.

Potestis bibere. 27.

Lectio vi.

**I**sti sunt lux mundi; quia per ipsos lumen fidei & verae scientiae primum Dominus huic mundo tradidit: & ab errorum ac peccatorum tenebris gentes & populos eruit.

Isti

Isti sunt sal terræ, quia per eos terrigenæ condimentum lapidis vitæ æternæ perciperunt, ut restringerent carnis lasciviam, & à putredine peccatorum & vitiorum vermibus servarentur illasi. Isti sunt lapides pretiosi, quos in fundamento cælestis ædificij posuit Joannes in Apocalypsi sua describit, quia prædicatio eorum Ecclesiæ fundamenta locavit. Unde & Paulus ait: Vos estis cives sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Isti sunt duodecim portæ Jerusalem novæ, quæ de cælo descendit, quia per ipsos januam fidei primum intravimus; & inter cives sanctorum adnumerati sumus.

37. Assumpsit Jesus. 28.

In tertio Nocturno.

Lectio sanctio Euangelij secundum Mattheum.

Lectio vij. Cap. 20 c

**N** illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Mattheum.

**S**edere autem ad dexteram, & ad sinistram, non est meum dare: sed quibus paratum est à Patre

meo. Quidnam sibi vult, quod modo dictum est? Duo enim hic à multis quaeruntur. Primum, si à dextris ejus sedere quibusdam paratum sit. Alterum, si Dominus omnium non possit illis præbere, quibus paratum est. Ex quibus primo soluto, alterum etiam patebit. Quid igitur est, quod dicit? nullus profecto à dextris, nullus à sinistris ejus sedebit. Inaccessibilis quippe sedes est illa, non hominibus dico solum, sed Angelis, sed Archangelis, ceterisque Virtutibus. Quod quasi præcipuum Unigeniti privilegium Paulus posuit, dicens: Ad quem autem Angelorum dixit unquam, Sede à dextris meis? Et ad Angelos quidem inquit: Qui facit Angelos suos spiritus: ad Filium autem, Thronus tuus Deus in sæculum sæculi.

38. Misit Herodes. 28.

Lectio viij.

**Q**uomodo igitur dixit, Sedere à dextris, atque à sinistris meis, non est meum dare? An quia concessuri alij sunt? minime inquam. Ad mentem enim interrogantium condescendens respondet. Non enim de sublimi sede illa, quæ ad dexteram Patris est, aliquid sciebant, qui vel multo inferiora, quæ quotidie a nobis eorum inenocabantur,

non percipiébant. Unum so-  
 lummodò quærébant, præfe-  
 ctúra potiri, & ómnium pri-  
 mos apud eum constitui: quod-  
 que jam diximus, cum duóde-  
 cim sedes audissent, ignorán-  
 tes quod dicebátur, primátum  
 concéssus postuláru[n]t. Quid  
 igitur ait Christus? Propter  
 me quidem, ac prædicatió-  
 nis meæ grátia moriémini, &  
 meæ passió[n]is partícipes éri-  
 tis; sed non est id satis ad pri-  
 mum locum atque ór[n]inem  
 obtinéndum. Nam si quis pó-  
 steà véniet martyrio & aliá-  
 rum ómnium número virtú-  
 tum ita decorátus, ut non  
 parum excédere vos videátur,  
 nolite crédere, quia vos amo,  
 ceterisque antepóno, idcirco  
 eo, qui majóribus nitet opé-  
 ribus, expúlso, vobis pri-  
 mum me locum datúrum.

8. *Iste est qui ante. 29.*

Nona Lectio de S. Panta-  
 leone martyre, cujus etiam  
 fit commemor. in Laudibus.

In secundis Vesperis à Ca-  
 pitulo, fit de sanctis Naza-  
 rio, Celso, Victore marty-  
 ribus, & Innocentio Papa &  
 Confessore, cum commemo-  
 ratione de Octava.

**DIE XXVIII. JULII.**

Quarta die fit de SS. Na-  
 zario, Celso, Victore mar-  
 tyribus & Innocentio Papa  
 & Confessore, semiduplex  
 cum commemorat. Octava.

In secundis Vesperis à Ca-  
 pitulo fit de sancta Martha:  
 postea fit commemoratio  
 SS. Nazarij, Celsi, Victoris ac  
 Innocentij, deinde Octava,  
 & SS. Felicis, Simplicij, Fausti-  
 ni & Beatricis martyrum.

**DIE XXIX. JULII.**

Quinta die fit de S. Martha  
 virgine, semiduplex, cum  
 commemorat. Octava, &  
 SS. Felicis, Simplicij, Fausti-  
 ni & Beatricis martyrum.

In secundis Vesperis à Ca-  
 pitulo fit de Octava S. Jacobi,  
 cum commemorat. S. Martha,  
 postea sanctorum Abdon &  
 Sennen martyrum.

**DIE XXX. JULII.**

Sexta die fit de Octava, ut  
 in die, præter Lectiones j.  
 Nocturni quæ dicuntur de  
 Scriptura occurrente, & ij.  
 & iij. Nocturni, quæ dicun-  
 tur ut infra.

In secundo Nocturno.

Ex Tractatu sancti Augustini  
 Episcopi super Psalmos.

*In Psalm 44. Lectio iij.*

**P**RO patribus tuis nati  
 sunt tibi filij. Genuerunt  
 te Apóstoli: ipsi missi  
 sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi  
 patres. Sed numquid nobiscum  
 corporaliter semper esse po-  
 tuerunt? Et si unus ipsorum  
 dixit: Cúpio dissólvi, & esse  
 cum Christo; multò magis  
 óptimum est: manére autem  
 in carne necessárium propter  
 vos.

VOS.

vos. Dixit hoc quidem : sed quamdiu hic manere potuit? Numquid usque ad hoc tempus? Numquid usque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quid est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli: pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi.

R. Assumpsit Jesus. 27.

Lectio v.

**H**odie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? ipsa Ecclesia patres illos appellat: ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos principes super omnem terram. Vide templum Regis, quam late diffusum est, ut noverint virgines quae non adducuntur in templum Regis, non se ad istas nuptias pertinere.

R. Potestis bibere. 27.

Lectio vj.

**P**ro patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos principes super omnem terram. Haec est catholica Ec-

clesia: filij ejus constituti sunt principes super omnem terram, filij ejus constituti sunt pro patribus. Agnoscant, qui praecisi sunt: veniant ad unitatem: adducantur in templum Regis. Templum suum Deus ubique collocavit: fundamenta Prophetarum & Apostolorum ubique firmavit: filios genuit Ecclesia: constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram.

R. Assumpsit Jesus. 28.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundum Matthaeum.

Lectio vij. Cap. 20. c

**N** illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 6. in Matth.

**S**edere autem a dextris, & a sinistris, non est meum dare, sed quibus paratum est a patre meo. Quibus porro paratum est? illis videlicet; qui fulgentissimis operibus evasuri sunt. Idcirco vero dixit, Non est meum dare, sed Patris mei: ne quis infirmum atque impotentem ad hanc ipsum forte retributionem opinetur. Sed quonam modo? non est

B 6 meum,

meum, inquit, sed quibus paratum est. Verum, ut clarius, fiat quod dicimus, exemplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur munerum atque certaminis, quo multi ac præclari athletæ confluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritate conjunctos accessisse fingamus, qui amicitia principis freti, postulare audeant, ut victores ipsi præconio declarati coronentur. Quibus ille respondeat, Non est meum id dare, sed quibus labore atque sudore præparatum est.

Misit Heródes. 28.

Lectio viij.

**N**Um igitur, quasi non potèntem illum id facere, condemnabimus? Nequam: sed justitiam ejus admirabimur: & quoniam non personam, sed rem respicit, laudabimus. Quemadmodum igitur editiois munerum atque certaminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctationis transgredi leges, & justitiæ ordinem conturbare: si unque Christum id dixisse affirmamus. Ita undique illos compellebat in gratia Dei primum, deinde in laboribus propriis omnem salutem, & gloriæ spem reponere. Ideo dixit: Quibus paratum est. Nam si alij præstantiores vi-

debuntur, si excellentiora, quam vos, opera facturi sunt, quomodo illis expulsis, locum eorum vos occupabitis? An quia mei discipuli estis, idcirco etiam si non digni primatu eritis, præmia tamen quoque consecuturos vos arbitremini?

Et. Iste est qui ante. 29.

Lectio nona de SS. Martyribus Abdon & Sennen, de quibus fit etiam commemoratio in Laudibus.

Vesperæ de S. Ignatio Confessore, cum commemoratio Octava.

DIE XXXI. JULII.

Septima die fit de S. Ignatio Confessore. Duplex, cum commemoratio Octavæ ad Laudes.

In secundis Vesperis à Capitulo de Octava, cum commemoratio S. Ignatii, & SS. Machabæorum martyrum.

DOMINICA

Proximiori Kalendis

Augusti.

Festum B. Mariæ virginis de Mercede. Duplex.

Omnia ut in fine Breviarii Romani.

FESTA AUGUSTI.

DIE I. AUGUSTI.

In Octava, Officium fit de ea sicut in die: & festum S. Petri ad Vincula transfertur in sequentem diem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno, Lectiones. Fundamenta ejus. de Comuni Apostolorum.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20. c

**I**n illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrósij Episcopi.

Lib. 2 de Fide ad Gratianum, cap. 3.

**P**otestis bibere cálicem, quem ego bibiturus sum? Dicentibus autem illis; possumus, ait illis Jesus: Cálicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quam pátiens & clemens Dóminus, quam alta sapiéntia, & bona charitas! Volens enim ostendere, quòd non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetrare non possent, prerogativam eis paternæ honorificentiæ reservavit, non metuens, ne quid juri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: simul diligens discipulos: quia, sicut habes, Usque in finem

dilèxit eos. Nóluit his, quos diligeret, vidèri quòd peterent denegasse, sanctus & bonus Dóminus; qui mallet aliquid dissimulare de jure, quam de charitate depónere. Charitas enim pátiens est, benigna est, non æmulatur, non inflatur, non quærit quæ sua sunt.

Et. Misit Heródes. 28.

Lectio viij.

**D**enique, ut agnoscat, non infirmitatis, sed indulgentiæ esse quòd dixit, Non est meum dare vobis, ubi sine matre filij Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit: sic enim habes: Non est meum dare vobis; sed quibus paratum est. Ita Marcus Evangelista posuit. Ubi verò mater pro filiis rogat, hoc est secundum Matthæum. Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Hic addidit, à Patre meo: quia majorem indulgentiam maternus poscebat affectus. Quòd si putant dicendo, Quibus paratum est à Patre meo, quòd aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit: dicant, utrum & illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Euangelio Filius de Patre: Pater non judicat quemquem? Quòd sacrilegium putamus, dicere, quòd Pater ita judicium detulit Filio, ut ipse non habeat: (habet enim,

nec potest amittere, quod  
habet naturaliter divina majes-  
tas, ) sacrilegium utique  
æstimare debemus, quod non  
potest Filius dare quidquid  
aut homines mereri possunt,  
aut quævis accipere creatura;  
præsertim cum ipse dixerit:  
Ego ad Patrem vado, &  
quodcumque ab eo petieritis  
in nomine meo, hoc faciam.

82. Iste est qui ante. 29.

Lectio nona de SS. Macha-  
bæis: de quibus fit etiam  
commemoratio in Laudibus

Vesperæ de S. Petro ad Vin-  
cula, & post commemoratio  
S. Pauli fit commemoratio. Octa-  
væ S. Jacobi, deinde S. Ste-  
phani Papæ & martyris.

**DIE VI. AUGUSTI.**

In festo SS. Justi & Pastoris  
martyrum.

Duplex 2. Classis.

**AD VESPERAS,**

Antiphona. Justus & Pastor.  
cum reliquis de Laudibus.  
Psalmus. Dixit Dominus.  
cum reliquis de Dominica;  
& loco ultimi, Psalmus. Lau-  
dâte Dominum omnes Gen-  
tes.

Capitulum. Rom. 8.

**F**Ratres, Existimo quod  
non sunt condignæ pas-  
siones hujus tempo-  
ris ad futuram gloriam, quæ  
revelabitur in nobis: nam  
expectatio creaturæ revela-  
tionem filiorum Dei expectat.

Hymnus.

*B. Isid.*

**E**Cce Justus, ecce Pastor  
Ambo juncti sanguine,  
Quos piæ fraternitatis  
Junxerat germanitas,  
Junxit æquâlis sacratæ  
Passionis unitas.  
Hi tamen scholis retenti,  
Dum instruuntur litteris  
Audientes quod tyrannus  
Intrat urbem persequens,  
Illicò scholam relinquunt,  
Et tabellas abnuunt.

Appetunt cursu deinde  
Præsidis præsentiam,  
Et Crucem Christi sequendo,  
Corpus armant debile,  
Quo triumphos passionis  
Expedirent fortiter.

Hoc repente Daciâno  
Nuntiantes, inquit,  
Ecce advenire Christum  
Profitentes parvulos,  
Mortis ultrò passiones  
Atque cædes perpeti.

Concitans adest hic Præses  
Turbidus, sævitiam,  
Ad suos truces ministros  
Teneantur, clamitat:  
Fustibus jubens tenella  
Dissecari corpora.

Tunc sacratas ambo voces  
Alloquuntur invicem:  
Tempus est jam temporales  
Ferre poenas corporis,  
Quo futuro perfruamur  
Gaudio cum Angelis.  
Audiens mox Daciânus  
Martyrum constantiam,  
Excitatus in furôre,

Dictat

Dictat hanc sententiam :

Ut perempti ambo fratres,  
Morte dira interciant.

Protinus eos furētes

Pertrahunt satellites,

Ad locum campi patētem,

Quem ferunt Laudabilem,

Ense illic verberantur,

Laureantur sanguine.

Laustibi per omne tempus,

Trinitas indifferens,

Laus honor, virtusque summa

Singulāris glōriæ,

Quæ Deum te sæculorum,

Personet per sæcula. Amen.

✠. Lætāmini in Dōmino, &  
exultate justi. *R.* Et gloriāmi-  
ni omnes recti corde.

Ad Magnificat, Antiphona.  
Fortissimi pueri Justus & Pa-  
stor in campum Laudabilem  
adducti, pro Christo plusquam  
virili constantia dato collo,  
martyrio coronati sunt.

Oratio.

**D**eus, lactentium fides,  
Spes infantium, charitas  
puerorum, qui per innocen-  
tium tuorum Justus & Pastor  
laudem cunctos provocas ad  
salutem; infunde nobis, qua-  
sumus, puritatem lactentis  
infantiae; ut dum sensu justi-  
tiae parvulis adaequamur, in  
illa remuneratione fidelium  
cum sanctis pariter gloriemur.  
Per Dōminum.

Et sic commemorat. S. Ma-  
ria ad Nivestentium, Antiphona.  
Beātam me dicent omnes

generationes, quia ancillam  
hūilem respexit Deus. ✠ Di-  
gnare me laudare te, Virgo  
sacrata. *R.* Da mihi virtutem  
contra hostes tuos.

Oratio.

**C**oncēde nos famulos  
tuos, quaesumus Dōmi-  
ne Deus, perpetua mentis &  
corporis sanitate gaudere: &  
gloriosa beatæ Mariæ semper  
virginis intercessione, à præ-  
senti liberari tristitia, & æter-  
na perfrui lætitia. Per Dōmi-  
num nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.  
Regem glōriæ, qui beatos  
hodie Justum & Pastorem co-  
ronavit. ✠ Venite adorēmus.  
Psalmus Venite, exultēmus.

Hymnus.

**D**ivino agente spiritu,  
Qui infirma mundi rō-  
borat,

Ad vincla, flagra, & vūlnera  
Fratres tenelli convolant.

Vix Justus annum septimum  
Nonumque Pastor egerat,  
Et jam cruento in prælio  
Utérque mundum vicerat.

Minas utérque Præsidis,  
Utérque sprevit verbera,  
Et colla utérque lactea  
Stricto mucroni subdidit.  
Incensa nempè charitas,  
Quam Christus armat, fovet  
Quamvis tenello in corpore  
Nescit malis succumbere.

In hoc triumpho nobili  
Divina virtus emicat,

Quæ

Quæ infirma sæcli déligit  
 Confundat ut fortíssima.  
 Sit laus, potestas, glória,  
 Uni, Trinóque númini,  
 Quod corde & ore infantium  
 Invítat ad cæléstia. Amen.

In primo Nocturno, Aña.  
 Cúm Daciânus Præses dira  
 Christiânis supplicia minarétur,  
 Justus & Pastor púeri  
 mira alacritâte sese martyrio  
 obtulerunt. Psalm. B eátus vir.  
 Aña. Ira exardésens, & ru-  
 bóre effusus Daciânus, infantes  
 mártires fústibus cædi, & ex-  
 cruciári crudéliter jussit. Psalmus.  
 Quare fremuerunt gen-  
 res, \* & pópuli. Antiphona.  
 Non flagris, non morte detérriti,  
 ad Martyrium pro Christo perferéndum,  
 se mútuò roberábant. Psalmus.  
 D ómine quid multipli-  
 cáti. V. Latámini in Dómino  
 & exultáte iusti. R. Et glo-  
 riámini omnes recti corde.

Lectioes de Epístola beati  
 Pauli Apostoli ad Roma-  
 nos. Fratres, Debitóres sumus,  
 ut in Comuni plurimorum  
 Martyrum.

R. j. Beáti mártires Justus &  
 Pastor ténereis annis ætátis suæ  
 mortem perdidérunt, & vitam  
 ætérnam invenérunt. \* Quia  
 solum vitæ dilexérunt auctó-  
 rem. V. Infántia computabá-  
 tur in annis, sed senéctus erat  
 venerábilis, non annórum nú-  
 mero computáta. Quia.

R. ij. Ingréssus tyránnus Com-  
 plútum, omnes Christiânos  
 perquiri jubet; qui aut idólis  
 sacrificent, aut cruciátibus  
 acerbíssimis interficiántur;  
 justus & Pastor ultrò se offe-  
 runt. \* Quia magno desidé-  
 rio pro Christo moriéndi e-  
 rant incénsi. V. Projéctis ta-  
 béllis, quibus prima litterárum  
 rudiménta continebántur, in  
 domo júdicis próperant: Quia.

R. iij. Vidéte ne contemnátis  
 unum ex his pusillis. \* Angeli  
 enim eórum semper vident fá-  
 ciem Patris mei, qui in cælis  
 est. V. Qui scandalizáverit  
 unum de pusillis istis, expedit  
 ei ut suspendátur mola asiná-  
 ria in collo ejus, & demergá-  
 tur in profundum maris. An-  
 geli. G lória Patri. Angeli.

In secundo Nocturno, Aña.  
 Dixit Justus: Noli frater Pa-  
 stor hanc temporálem perti-  
 méscere passiónem, nam qui  
 nos ad tantam grátiam vocá-  
 vit, vires cruciátibus pares præ-  
 stábit. Psalmus. D ómine quis  
 habitábit. Antiphona. Dignè,  
 frater Juste, sic te decet hortári,  
 ut justítiam, quam nómine  
 præfers, simul cum tuo fra-  
 tre suscipias. Psalmus. C on-  
 serva me Dómine. Antiphona.  
 Hi sunt qui accepérunt  
 benedictiónem à Dómino, &  
 misericórdiam à Deo salutári  
 suo. Psalmus. D ómini est  
 terra. V. Exúlkent iusti in

conspéctu Dei. *R.* Et delectentur in lætitia.

*Ex lib S. Isidori, & lib S. Ildelphonsi de viris illust.*

Lectio iiii.

**J**ustus & Pastor, germáni fratres, Compluténses, illustre Christo Dómino testimónium dedérunt, Diocleriano & Maximiano Imperatoribus. Nam cum Daciánus Præses Complutum ingressus, Christianos omnes perquiri jubéret, ut aut fidem Christi detestati, idólis sacrificarent, aut acerbíssimis cruciátibus interficerentur, Justus & Pastor puéruli magno sunt pro Dómino moriendi desidério incénsi. Itaque projectis tabéllis, quibus prima litterarum rudiménta continebantur, quo Christum mélius discerent, è ludo literário neque vocati, neque appellati in domum júdicis próperant, Christianos se esse públicè profitentur, & pro Christi fidè supra ætatem & còrporis vires læti atque álacres tormentórum cruciátibus sese ultrò ófferunt. Quos Daciánus, tamquam pueros, jubet verbéribus ab ea mente deterréri.

*R.* Justus sic fratrem Pastórem alloquebátur: Ne timeas frater mortem còrporis, nec dira tormentá, quæ nos circumstant.\* Nana Deus ille,

qui nos ad tantam grátiam vocáre dignátus est, dabit vires cruciátibus pares.

*V.* Non te detérreant tormentá, quæ nobis paráta sunt, quasi tenélla nostra ætate gravióra. Nam. Lectio v.

**D**um ad vérbera ducuntur, mútuò se ad supplicia fórtiter subéunda novélli agni cohortabantur. Nam Justus minor natu, timens fortè, ne de sua frater constantia diffideret, sic prior Pastórem alloquitur: Nihil, Pastor frater, timeas mortem còrporis, quæ nos circumtat: nec tormentá, quæ nobis paráta sunt, quasi tenélla nostra ætate gravióra; excipe júgulo secúrus gládium: nam Deus ille, qui nos ad tantam grátiam vocáre dignátur, dabit étiam vires cruciátibus pares. Ad hæc Pastor: Méritò, Juste frater, sic te decet hortári, ut justitiam quam nómine præfers, re ipsa præstes, ejusque fructus mecum una percípias. Ego verò libénter sócium me tibi præbébo martyrii, ut tecum hujus certáminis glóriam adipíscar. Quorum sermónes cum satéllites ad Daciánum retulíssent, véritus ille, ne réliqui Christiani tanto excitaréntur exémplo, ejusque crudélitas, si incertámen descénderet, à puéris vincerétur, extra oppidum

dum procul ab homine frequentia sanctissimos pueros abripi jubet, & silentio occidi.

R. Propter testamentum Domini, & leges paternas, Justus, & Pastor perstitērunt in amore fraternitatis. \* Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. V. Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.

Quia unus. Lectio vj.

I Taque in campum, qui Laudabilis est appellatus, adducti, octavo Idus Augusti gladio feriuntur. Et, ut a majoribus accepimus, jugulati sunt super lapidem, qui Compluti in honore est, & adhuc servat sacrati martyrii impressa vestigia. Post discessum Daciani, Christiani beatissima puerorum corpuscula eo ipso loco honorifice sepelierunt: quæ durante persecutiōne, & novis deinceps semper bellis Hispania exagitata, oblivioni traduntur, donec longo post tempore Asturio Toletano Archiepiscopo, viro sanctissimo divinitus commonstrata sunt. Qui cælestem thesaurum pro dignitate æstimans, Complutum venit, eumque pretioso tumulo condidit: tantæque veneratiōne profecutus est, ut Toletana sede relicta, primus Complutensem Episcopatum constituerit, ac reliquum vitæ tem-

pus in honorandis sanctissimis pueris collocarit, neque amplius se ab eis divelli passus sit: quorum reliquæ multis & illustribus miraculis claruerunt.

R. Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab impio tyranno, pueri fratres jugulati sunt: ipsum sequuntur agnum sine macula. \* Et dicunt semper, Gloria tibi Domine.

V. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Et dicunt. Gloria Patri. Et dicunt.

Inventio Nocturno.

Neque vocati, neque appellati, Justus & Pastor in domum judicis properant, Christi fidem confitentes. Psalmus. E xultate justi. Antiphona. Qui adhuc lactentis teneritudine agebantur infantia, ultra vires viriliter dimicant, alleluia. Psalmus. Benedicam Dominum. Antiphona. Deus adjutor noster in tribulationibus, propterea non timebimus, dum turbabitur terra. Psalmus. Deus noster refugium. V. Justi autem in perpetuum vivent. R. Et apud Dominum est merces eorum. Lectio sancti Evangelij secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

I N illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli

& terræ, quia abscondisti hæc à sapiéntibus & prudentibus, & revelasti ea párvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini  
Episcopi.

Serm. 8. de verbis Domini.  
tom. 10.

**Q**uid est hoc fratres? à contráριο sensu intelligite: Abscondisti hæc, inquit, à sapiéntibus & prudentibus: & non dixit, revelasti ea stultis & imprudentibus: sed ait: Abscondisti quidem à sapiéntibus & prudentibus, & revelasti ea párvulis. Sapiéntibus & prudentibus irridéndis, arrogántibus falsò grándibus, verè autem tumentibus, oppósuit non sapiéntes, non prudentes, sed párvulos. Qui sunt párvuli? húmiles. Ergo abscondisti hæc à sapiéntibus & prudentibus.

22. Sacrilegi Præsidis Daciáni minas perhorréscunt viri, infántes contémunt. \* Et per infirma mundi fórtia confunduntur. 2. Dómine Dóminus noster, quàm admirábile est nomen tuum in univérſa terra. Et per infirma.

Lectio viij.

**N**omine sapiéntium, & prudentium superbos intelligi posse, ipse expósuit, cum ait: Revelasti ea párvulis. Ergo abscondisti non párvu-

lis. Quid est, non párvulis? Non húmilibus. Quid est non húmilibus, nisi superbis? O via Dómini! aut non erat, aut latébat, ut revelarétur nobis. Unde Dóminus exultávit, nisi quia revelátum est párvulis? Debémus esse párvuli: nam si voluérimus esse magni, quasi sapiéntes & prudentes, non nobis illud revelátur.

22. Hæc est vera fraternitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui effúso sángxine secúti sunt Dóminum: \* Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia. 2. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, habitáre fratres in unum. Contemnéntes. G lória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix. de SS. Martyribus Xysto, Felicissimo, & Agapito, ut in Breviario.

**A D L A U D E S,**

& per Horas, Añã.

**J**ustus & Pastor fratres púeri, cum Præsidis sæviciam viri perhorréscerent; spontè ad martyrium concurrerunt. Pálmus. D óminus regnâvit. cum reliquis de Dñica, Antiphona. Pastor & Justus fratres, cum púeri adhuc litteris imbueréntur projéctis in schola tabéllis, veram sapiéntiam sunt secúti. Añã. Justus Pastorem allóquitur: Noli frater mortem córporis, nec tormén-

ta, quæ nobis parata sunt, per-  
timescere. Antiphona. Dixit  
Pastor Justo fratri, libenter  
me tibi martyrij socium præ-  
beo, ut simul hujus certami-  
nis gloriam consequamur.  
Antiphona. Pueri, & juve-  
nes, senes cum junioribus  
laudent nomen Domini, al-  
leluia.

Capitulum. Rom. 8

**F**ratres, Existimo quod  
non sunt condignæ passio-  
nes hujus temporis ad futuram  
gloriam, quæ revelabitur in  
nobis: nam expectatio crea-  
turæ revelationem filiorum  
Dei expectat.

Hymnus.

**S**acra victorum monumén-  
ta fratrum

Supplici voto renovamus &  
te

Martyrum virtus canimus,  
qui in illis

Christe triumphas.

**H**odie duplex tibi consecra-  
tur

Victima, hostili temerata  
cultro,

Utraque internas animante  
vires

Uritur igne.

**U**trò ad insimem properat  
tyrannum,

Utraque intentos cupit ire in  
enses,

Nulla vis cogit jugulum mi-  
naci

Subdere ferro.

**P**rodeunt una genitricis alvo,  
Tempore ad palmam rapiun-  
tur uno,

Et duplex agnus laniatus  
unam

Imbuit aram.

**E**xcipe ex nostris Deus al-  
me templis

Vota, solènni geminata ritu,  
Quique adhuc stillat veteri

recentem

Mortem cruorem.

**G**loria ætèrno Genitori, &  
ejus

Sit coeternæ Soboli, jugisque  
Laus Paráclito, qui ab utrò-  
que manat,

Númme sacro. Amen.

**Y.** Exultabunt sancti in gló-  
ria. **R.** Lætabuntur in cubili-  
bus suis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super petram duæ victimæ  
Christo gratissimæ, Justus &  
Pastor jugulati sunt, & cör-  
pora eörum in pace honorifi-  
cè sepulta sunt, alleluia.

Oratio.

**D**eus lactentium fides, spes  
infantium, charitas pue-  
rorum, qui per innocentium  
tuorum Justus & Pastör lau-  
dem cunctos provocas ad sa-  
lutem, infunde in nobis,  
quæsumus, puritatem lacten-  
tis infantia; ; ut dum sensu ju-  
stitia; parvulis adæquamur,  
in illa remuneratione fidè-  
lium, cum sanctis pariter glo-  
riemur. Per Dominum.

Et fit commemor. SS. martyrum Xysti, Felicissimi, & Agapiti, Añã. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere, multis passibus meliores estis vos. *Lætámini in Dño, & exultate justí.*  
*R.* Et gloriámini omnes recti corde.

Oratio.

**D**eus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Xysti, Felicissimi, & Agapiti natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dóminum.

Ad Tertiam, Antiphona. Pastor & Justus. Capitulum. *Fatres, exístimo.*  
*R.* br. *Lætámini in Dómino: \*Et exultate justí. Lætámini.*  
*V.* Et gloriámini omnes recti corde. Et exultate. *Gloria Patri. Lætámini. V. Exúltent justí in conspéctu Dei. R. Et delecténtur in lætítia.*

Ad Sextam, Antiphona. Justus Pastorem. Capitulum. *Rom. 8.*

**S**cimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.  
*R.* breve. *Exúltent justí, \*In conspéctu Dei. Exúltent. V. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu. Gloria Patri. Exúl-*

*tent. V. Justí autem in perpétuum vivent. R. Et apud Dóminum est merces eorum.*  
 Ad Nonam, Antiphona. *Púeri, & júvenes.*

Capitulum. *Rom. 8.*  
**Q**uis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?  
*R.* br. *Justí autem \*In perpétuum vivent. Justí. V. Et apud Dóminum est merces eorum. In perpétuum. Gloria Patri. Justí. V. Exultábunt sanctí in glória. R. Lætábuntur in cubilibus suis.*

In secundis Vesperis omnia ut in primis, sed loco ultimi Psalmus. *Crédidi propter quod locutus sum. V. Exultábu et sanctí in glória. R. Lætábuntur in cubilibus suis.*

Ad Magnificat, Antiphona. Isti sunt duo novelli agni, qui nec minis iudicis detrecti, nec virium teneritate defessi, usque ad mortem tormenta passi sunt, alleluia.

Deinde fit commemoratio S. Cajetani Confessoris, & S. Donati Episcopi & martyris, ut in Breviario.

**DIE XXX. AUGUSTI.**  
 In festo S. Rosæ virginis Limanzæ. Duplex.  
 Omnia ut in fine Breviarii Romani.

# EXORCISMUS

## CONTRA IMMINENTEM TEMPESTATEM FULGURUM, ET GRANDINIS.

**P**er signum ✠ Crucis, de inimicis ✠ nostris, libera nos ✠ Deus noster. In nómine Patris, ✠ & Filij, & Spíritus sancti, Amen.

Dicitur Symbolum fidei, scilicet Credo in Deum Patrem, &c.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. ✠. Adjuvatorium nostrum in nómine Dómini. R. Qui fecit cælum & terram. ✠. Sit nomen Dómini benedictum. R. Ex hoc nunc & usque in sæculum. ✠. Exúrgat Deus, & dissipentur inimici ejus. R. Et fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus. ✠. Exúrge Christe, adjuva nos. R. Et libera nos propter nomen tuum. ✠. Dómine exáudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. ✠. Dóminus vobíscum. R. Et cum spíritu tuo.

O rémus. Oratio.

**D**omine Jesu Christe, qui fecisti cælum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt, qui que flumini Jordáni benedixisti, atque in eo baptizari voluisti, & tuas san-

ctissimas manus & bráchia sacratissima in cruce extendisti, quibus aërem sanctificasti: obsecramus imménsam pietatis & bonitatis tuæ abundantiam, quatenus has nubes, quas ante me, & post me, & supra me, à dextris & à sinistris vídeo aërem perturbare, dissolvere & annihilare digneris: ut alligata potestas dæmonum impiè delæviéntium deficiat & turbetur, ad laudem tui sanctissimi nóminis; & potentissimæ majestatis tuæ. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spíritus sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. R. Amen.

Postea conversus ad nubes signet eas signo ✠ dicens. Circúmdet te nubes Deus ✠ Pater. Circúmdet te Deus ✠ Filius. Circúmdet te Deus Spíritus ✠ sanctus. Déstruat te Deus ✠ Pater. Déstruat te Deus ✠ Filius. Déstruat te Deus Spíritus ✠ sanctus. Cómprimat te Deus ✠ Pater. Cómprimat te Deus ✠ Filius. Cómprimat te Deus Spíritus ✠ sanctus. Amen.

Obsecratio. Sanctus Mat-  
thæus, sanctus Marcus, sanctus  
Lucas, sanctus Joannes Euan-  
gelista, qui Christi Euan-  
gelium per quatuor mundi par-  
tes divulgârunt, ipsi suis mé-  
ritis & précibus hanc tempe-  
stâtem à término isto, & ab  
ômnibus Christianôrum fini-  
bus, ab eodem Dómino nostro  
Jesu Christo obtíneant effu-  
gári & depélli.

## EXORCISMUS.

**E**T ego peccâtor, & Chri-  
sti Sacérdos seu mínister,  
licet indignus, auctoritatè &  
virtùte ejúsdem Dei & Dómi-  
ni nostri Jesu Christi summi  
Imperatôris, non mea potén-  
tia innixus & confisus, vobis  
præcipio immundíssimi spíri-  
tus, qui has nubes seu nébu-  
las concitâtis, in virtùte ejú-  
sdem Dei & Dómini nostri Je-  
su Christi, per ✠ sanctíssi-  
mam ejus Incarnatiónem, per  
sanctam Nativitatè, per Ba-  
ptísmum & Jejunium ipsius,  
per ejus sanctíssimam Crucem  
✠ & Passiõnem, per sanctam  
Resurrectiõnem, per admirá-  
bilem Ascensiõnem, per tre-  
mèndum Advéntum ejus &  
Judicium, per mérita inteme-  
ratæ sempèrque Víriginis Ma-  
riæ, & sanctíssimi N. & per  
mérita ômnium Sanctôrum,  
ut exeatis ab eis, & eas disper-  
gatis in locis silvéstribus &  
incúltis, quâtenus nocère non

possint homínibus, animáli-  
bus, frúctibus, herbis, arbó-  
ribus, aut quibuscúmque re-  
bus humanis úsibus deputâtis.  
Per eúndem Dóminum no-  
strum Jesum Christum, qui  
ventûrus est judicâre vivos &  
mórtuos, & sæculum per  
ignem. Amen. Ipse vobis ím-  
perat, dæmones, qui has nubes  
commovétis, de quo de nube  
lúcida dictum est: Hic est  
Fílius meus diléctus, in quo  
mihi benè complácuí. ✠ Ipse  
vobis ímperat, qui sua sacra-  
tíssima Cruce, & córporis sui  
sanctíssima in ea extensiõne  
aërem purgâvit. ✠ Ipse vobis  
ímperat qui per mortem suam  
vos, príncipem vestrum, mor-  
témque devicit, & ligâvit, at-  
que aeternæ gehénnæ manci-  
pâvit ignibus. ✠ Ipse vobis  
ímperat, qui inférno spoliato  
surrexit à mórtuis. ✠ Ipse vo-  
bis ímperat, qui post quadra-  
gínta dies nube susceptus, vir-  
tùte sua ascéndit in cælum.  
✠ Ipse vobis ímperat, qui  
ventûrus est judicâre vivos &  
mórtuos, & sæculum per  
ignem. R. Amen.

Et postea ostendit Cru-  
cem in aëra dicens:  
Ecce lignum sanctíssimæ Cru-  
cis, fugite partes advérsæ: vicit  
enim vos & mundum Dómi-  
nus noster Jesus Christus Fi-  
lius Dei, Imperâtor summus,  
leo de tribu juda, radix David.

Postea aqua benedicta in modum Crucis ✠ aspergat quatuor latera. Dicendæ sunt etiam Litanix : si nondum quievit tempestas. Symbolum S. Athanasij. Quicumque vult. Antiphona. Salve Regina. & Sub tuum præsidium. Canticum. Benedicite omnia, cum *Ps.* Glória Patri, & Filio. in quolibet versu dicti Cantici.

Deinde *Ps.* Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. *R.* Laudemus, & superexaltemus eum in sacula.

*Ps.* Ora pro nobis sancta Dei genitrix. *R.* Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Ps.* Exurge Christe, adjuva nos. *R.* Et libera nos propter nomen tuum. *Ps.* Domine exaudi orationem meam. *R.* Et clamor meus ad te veniat.

*Ps.* Dominus vobiscum. *R.* Et cum spiritu tuo.

Oratio.

**O**Mnipotens sempiternè Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis glóriam agnoscere, & in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Oratio.

**P**rotege Domine famulos tuos subsidiis pacis; & beatæ Mariæ semper Virginis

patrociniò confidentes, à cunctis hostibus & periculis rede securos. Oratio.

**A**D Domo tua, quaesumus Domine, spiritales nequitiæ repellantur, & aëreorum discédât malignitas tempestatum. Oratio.

**A**D te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicántibus, ut qui justè pro peccatis affligimur, misericordia tua præveniènte, clementiam sentiamus. Oratio.

**L**argiri & conservare fructus terræ dignare Domine Deus noster; ut temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus spiritualibus incrementis. Per Christum Dominum nostrum. Oratio.

**P**roest dici & Oratio illius Sancti in cujus honore constructa est Ecclesia, & aliorum Sanctorum, in quibus plus de eorum adjutorio confidimus propter specialem devotionem nostram. Possunt dici & aliæ etiam devotæ Orationes cum compunctione, & cordis contritione, implorando semper misericordiam Dei. Et si adhuc tempus tempestuosum perseveraverit, poterunt supra dicta pluries repeti.